

justitia videlicet et pietas. Verumtamen in regibus plus laudatur pietas : nam justitia per se sine pietate severa est. De rapinis compescendis, et pace restituenda, et sacris Scripturis, ecclesiasticarum legum definitionibus, ac legum sacrarum constitu-

tionibus, sufficienter ex synodali conventu apud martyrium beatæ Macræ nuper habito collecta fratri hujus regis nostri nuper defuncto per episcopos misimus, quæ hic replicare non necessarium, imo superfluum duximus.

XI.

COMMUNI EPISCOPORUM NOMINE

AD REGEM

De coercendo et exstirpando raptu viduarum, puellarum ac sanctimonialium.

(Ad eundem, ex Paralipomenis Joannis Busæi.)

Domino Christianissimo, glorioso et piissimo principi, humiles servi Christi Galliarum et Germaniarum episcopi, pro cultu et sanctimonia domus Domini, quæ est Ecclesia Dei veri, columna et firmamentum veritatis.

CAP. I. Maxima et gravissima necessitate compellimur omnes nos, qui his novissimis et periculosissimis temporibus episcopale ministerium et gubernationem Ecclesiarum Dei, licet indigni et minimi sortiti sumus, ut periclitanti gregi Dominico, et novis insidiis atque infestationibus hostis antiqui de die in diem miserabilius laboranti, communi intentione et studio, in quantum Deus facultatem tribuit, vigilanter et strenue prospiciamus. Quamvis enim potestas regni temporalis divino judicio in hoc Christianorum regno ad præsens videatur divisa, una est tamen in omnibus et ex omnibus Christo Domino protegente Ecclesia, unus Dominus, una fides, unum genus electum regale sacerdotium, una gens sancta, unus populus acquisitionis, quem ipse Dominus et Salvator de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, pro cujus acquisitione et perpetua unitione etiam mortem gustare dignatus est, dicente Evangelio : *Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum (Joan. xi, 51, 52).* Unde et ipse admirabili dignatione loquitur, dicens : *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. Habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor (Joan. x, 15, 16).* Cum ergo omnis populus Dei, tanto pretio redemptus et adunatus, unus grex sit sub uno pastore, et omnes hujus gregis pastores per unitatem fidei, et unanimatem sollicitudinis, tanquam unus pastor existere debeant sub uno et in uno principe pastorum, tanta necesse est sint charitate uniti, tanta spiritus societate copulati, ut invicem onera sua libentissime compartiantur et portent, et sit eis instantia quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum, ut si quid patitur unum membrum, compatiatur omnia membra, sive gratulatur unum membrum, congaudeant omnia membra. Hæc

enim semper sollicitudo in beatis apostolis, hæc in beatorum apostolorum successoribus, id est Ecclesiarum Dei rectoribus, fecit unum gregem Dominicum, unam religionis custodiam, unam matrem Ecclesiam una mente diligere, atque unanimi devotione servare.

CAP. II. Quapropter obsecramus Christianissimam pietatem, et gloriosam sublimitatem vestram, ut religiose regni Dei constitutos ministros, et populi Christiani rectores, et divinæ religionis atque ecclesiasticæ sanctitatis conservatores ac defensores, ut ea quæ pro salute animarum fidelium, et Christiani regni conservatione ac tranquillitate emendanda suggeruntur, cum divini timoris honore et metu futuri judicii audiatis, audita justo judicio examinetis, examinata competenti severitate reseccetis. Nihil enim ita omnipotentis Dei iracundiam exasperat, et regni pacem perturbat, ut contemptus divinæ legis, et conculcatio paternæ auctoritatis, et profanatio ecclesiasticæ munditiei et sanctitatis. Unde adversus impios legis suæ contemptores ipse Deus loquitur, dicens : *Et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego (Ose. iv, 6).* De quibus et alibi scriptum est : *At illi subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones ejus, donec ascenderet furor Domini in populum suum, et esset nulla curatio (II Par. xxxvi, 16).* Redeat ergo semper in memoriam lex Dei, nec spernantur ac subsannentur nuntii Dei, sancti videlicet patres antiqui, de quibus ipse Dominus in Evangelio dicit : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit (Luc. x, 16).* Habeat vos sancta mater Ecclesia pios pudicitiae et castimoniam custodes ac defensores. Quæ in tantum ab illa omnipotens Deus exigit, ut terribiliter Apostolus testetur et dicat : *Pacem sequimur cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum (Hebr. xii, 15).* Et iterum : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (I Cor. iii, 16).* Et iterum : *Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit (I Cor. vi,*

15). Et iterum : *Et non estis vestri : empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Dominum in corpore vestro (I Cor. xi, 20)*. Istud est templum Dei, et domus Dei vivi, de qua scriptum est : *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum (Psal. xcii, 5)*. De qua et beatus patriarcha Jacob, qui cognominatus est Israel, in mystica laude ait : *Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cæli (Gen. xvii, 27)*. Quia videlicet et nunc habet habitatorem Dominum, et post præsentem vitam de mundo mittit ad cælum.

CAP. III. Propter hanc sanctimoniam et munditiam a contagiis diabolicis, Ecclesia a Christo dilecta, et ejus passione comparata, et lavacro baptismi purgata est et expiata, testante Apostolo ac dicente : *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi : sed ut sit sancta et immaculata (Ephes. v, 25)*. Quicumque igitur hujus maris filius, hujus corporis membrum, hujus templi portio veraciter esse desiderat, audiat et obaudiat fideliter eidem Apostolo admonenti atque dicenti : *Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus, et inhabitabo et in ambulabo in illis, et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus (II Cor. vi, 16)*. Et post paululum : *Has igitur habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei (II Cor. viii, 1)*. De talibus enim membris et lapidibus vivis constituitur illa civitas regis magni, nova nupta et sponsa agni, de qua in Apocalypsi legitur : *Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et portis intrent in civitatem : foris canes, et impudici, et venefici, et omnis qui amat et facit mendacium (Apoc. xxii, 14, 15)*. Hujus gloriosæ domus Dei decorem, et locum habitationis gloriæ ejus, fidelissime diligere et zelari debent non solum episcopi et sacerdotes in sedibus, sed etiam reges in regnis et palatiis suis, et regum comites in civitatibus suis, et comitum vicarii in plebibus suis, et quicumque patresfamilias in domibus suis, in unum dives ac pauper, in mente et actibus suis. Hunc zelum præcipue Apostolus exercuit, et nobis suo exemplo exercendum commendavit dicens : *Æmulor enim vos Dei æmulatione : despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (II Cor. xi, 2)*. De hoc et ipse Dominus loquitur in Psalmo : *Zelus domus tuæ comedit me (Psal. lxxviii, 10)*. Quem zelum tam terribiliter exercuit, ut non verbo, quo etiam dæmones fugabat, sed manu et flagello profanatores domus Dei simul cum suis oblationibus et sacrificiis, quæ præparare videbantur, extruserit (Joan. ii).

CAP. IV. Obsecramus igitur, ut et pietas vestra ex hac sancta matre generata, ipsius Salvatoris imitatrix effecta, cujus misericordia et tuta et exaltata consistit, arripiat zelum pro domo Dei, et æmuletur eam Dei æmulatione, coercens et extirpans, et flagello juste severitatis exterminans quorundam ho-

minum impudentissimam audaciam, qui calcatis Dei legibus, et sanctissimorum Patrum auctoritate contempta, absque ulla divini sive humani pudoris reverentia, tanquam bruta et irrationabilia jumenta, templum Dei, quod est sanctimonia fidelium, violare non metuunt, et ipsum altare Domini, quod est sacerdotale ministerium, illi dicatum, et ejus cultui sequestratum, suis calcibus, quantum in se est, destruere et evertere moliantur : dum in nonnullis regni hujus partibus, propter eorum publicam infestationem, nec viduarum miseranda desolatio legitimam habere libertatem permittitur, nec filiæ in ætate puellari et parentum domibus constitutæ, juxta leges divinas et humanas, eorumdem parentum suorum votis atque auctoritate, matronalibus nuptiis honestare ullatenus sinuntur : et ipsarum quoque sanctimonialium Deo dicata devotio, contra professionem sanctitatis, et reverentiam divinæ consecrationis, dissolvitur et profanatur. Ita ille antiquus humani generis hostis quondam per Balthasar impium et sacrilegum regem vasa domus Dei aurea atque argentea polluit (Dan. v) : nunc per istorum profanam insolentiam atque impietatem multo pretiosiora et Dei chariora commaculare et ludibrio atque insultationi dæmonum subicere non cessat. Hi sunt publici raptores et prædones, cum satellitibus et sociis impietatis suæ, non alicujus hominis exteriores res vel substantiam devastantes, sed ipsius omnipotentis Dei familiam depopulantes. Cum quibus utique nec cibum sumere oportet, sicut de omnibus rapacibus apostolica auctoritas præscribit (I Cor. v). In quibus isti primum obtinent locum, raptores videlicet viduarum et puellarum, et sanctimonialium, contemptores sacerdotum, violatores templi Dei, non timentes illud apostolicum : *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus (I Cor. iii, 17)*. Et recte, si aliquod templum Dei ex lignis et lapidibus manu factum incenderent, sive destruerent, ab omnibus sacrilegi et puniendi judicarentur : quanto magis qui Dei vivi templum subvertere et dissipare non metuunt, dum ex raptu arbitrantur fieri posse conjugium, et ex iniquo contubernio legitimum matrimonium, quod nulla unquam lex, nulla humanitatis consuetudo permisit? Nam et in exordio mundi ad propagationem generis humani masculum et feminam Deus fecit, eosque sua benedictione conjunxit dicens : *Crescite et multiplicamini (Gen. i, 28)*.

CAP. V. Cujus rei imitatione etiam sancta Ecclesia antiquitus solemniter et venerabiliter custodivit, eos qui in illa velut in paradiso Dei conjugio copulandi essent, divina benedictione et missarum celebratione conjungens. Quæ videlicet honesta et religiosa conjunctio, Deo auctore cæpta, et ejus benedictione firmata, etiam inter gentes, quæ nullam legem acceperunt, nullam Dei habuerunt notitiam, legitimo ordine et naturali lege servata est. Nec unquam rem pacis, charitatis atque concordie, per discordiam, et violentiam, et impietatem fieri licit-

fuit. Testentur hoc publicæ Romanorum leges, **A**gro tantam violentiam perpetrant, et istos qui sive in civitatibus, sive in viis vel domibus, etiam cum turba et armis similia committunt : nisi quod illi similes sunt latronibus, qui in silvis et desertis locis occulte insidiantur, isti vero similes atrocissimis et apertissimis prædonibus, qui vel nocturno silentio, vel clara luce civibus infesti et perniciosi existunt. Qui cum nec divinæ legis ordine, nec parentalis voluntatis auctoritate, nec ecclesiasticæ sanctitatis pietate, conjugalem copulam sortiti sunt, sed insuper pro benedictione sacerdotali excommunicationem publicam ex auctoritate canonum meruerunt, qua fronte sacrilegium videri volunt esse conjugium, et latrocinium matrimonium, et violentiam pietatem? Cum nee sine fundamento possit consistere ædificium, et extirpata arboris radice, nequaquam rami virides pullulent: et de hujusmodi nequaquam legitimo connubio, sed adulterino contubernio, nullatenus dici possit quod Dominus in Evangelio ait: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* (Matth. xix, 6), sed potius: *Quod homo impie et improbe conjunxit, Deus sua æquitate dissociet*. Isti sunt qui per violentiam et potentatum suum, post contemptum omnipotentis Dei, contemnunt etiam Ecclesiam Dei, contemnunt sacerdotes Dei, nullam excommunicationis Christi reverentiam habentes, qui ministris et rectoribus Ecclesiæ suæ hanc potestatem contulit, dicens: *Quod si Ecclesiam non audierit, videlicet quilibet præsumptor et contumax, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. xviii, 17). Et statim subjunxit: *Amen dico vobis, quia quæcunque alligaveritis super terram erunt, ligata et in cælis* (ibid., 18). Isti autem e contrario, Ecclesiæ inobedientes, ac per hæc velut ethnici et publicani habendi, et temporali judicio excommunicati, violenter Ecclesias ingrediuntur, et divinis mysteriis injuriam facere non timent, et ad christianitatis cultum non humilitate, et pietate, atque obedientia, sed contumacia et improbitate seipsos aggregare conantur: non recogitantes scriptum etiam ipso Domino Christo dicente: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, et facientes prævaricationes odi* (Psal. c, 7). Et iterum: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. iv, 6). Et: *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit* (Psal. cxxxvii, 6). Si enim hæc cogitare dignarentur, deponerent superbiam suam, et illud per piam humilitatem promereri studerent, quod Scriptura alibi promittit, dicens: *Juxta est Dominibus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit* (Psal. xxxiii, 19). Et Jacobus apostolus qualiter unusquisque, et a diabolo longe fieri, et Deo appropinquare valeat, ita admonet: *Subditi igitur estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet a vobis. Appropinquate Domino, et appropinquabit vobis. Emundate manus peccatrices, et purificate corda duplices animo. Miseri estote, et luge, et plorate. Risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mærorem. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos* (Jac. iv, 7-9).

P. VI. Sed et tam sanctum atque inviolabile esse lex Dei fœdus et vinculum nuptiarum, naturali auctoritate et legitima postulatione inimicum, ut puellam desponsatam, etiam ante copulam nuptiarum, uxorem ejus cui desponsata est esse constat, dicens: *Si puellam virginem desponderit vir, venerit eam aliquis in civitate, et cubuerit cum eaduce utrumque usque ad portam civitatis illius, lapidibus obruentur, puella quia non clamavit cum in civitate, vir quia humiliavit uxorem proximi* (Deut. xxii, 23). Inde est quod etiam in Evangelio nuptia et gloriosa Dei genitrice Maria, cum esset desponsata Joseph, dicitur illi per angelum: *Joseph David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam* (Matth. i, 20). Et in Osea propheta, si puellæ desponsatæ ab aliis violatæ fuerint, adulteræ nunciantur, dicente Domino: *Non visitabo super filias tuas, cum fuerint fornicatæ, neque super sponsas tuas cum adulteraverint* (Ose. iv, 14). Hos autem latrones, et oppressores, ac violatores, lex Dei latrocinis et homicidis comparat, et interfici jubet, dicens: *Si autem in agro vir repererit puellam quæ desponsata est, et apprehendens concubuerit illa, ipse morietur solus, puella nihil patietur, est rea mortis. Quoniam sicut latro consurgit occidit fratrem suum, ut occidat animam ejus, ita et latro qui perperam est: sola erat in agro, clamavit, nullus adfuit qui liberaret eam* (Deut. xxii, 28).

P. VII. Agnoscant se ergo qui ejusmodi sunt latrones et homicidas, et animarum interfectores, quos morte. Nec distat aliquid inter illos qui in

B **C** **D**

CAP. VIII. Nunc autem cum violenter in ecclesias A irruunt, cum se turbæ fidelium indiscipline et improbe permiscunt, cum ipsis sacerdotibus, nisi illis præsentibus divina mysteria celebraverint, exitia comminantur, quid aliud faciunt, nisi quod bis se suo gladio confodiunt, ecclesiasticum contemnendo iudicium, et sacri altaris mysteria temerando? Quæ sicut fidelibus et humilibus ac piis ad remedium, ita contemptoribus et impudentibus proficiunt ad iudicium et tormentum. Quibus etiam illi stulti et improbi sunt sociandi, qui ab aliis Ecclesiis et sacerdotibus excommunicati, in aliis atque apud alios fraudulentè communicare posse credunt. Cum omnibus fidelibus certissime manifestum esse debeat, in universo mundo, et civitatibus, et populis, non esse nisi unam Christi Ecclesiam, et unum Christi altare, et unum sacrificium, quod ubique uni Deo et una religione constituitur et offertur. Et ideo nullus omnino potest in parte esse excommunicatus, et in parte communicans : sed unde in una Ecclesia meruit separari, in nulla prorsus, nisi per legitimam satisfactionem, poterit sociari : sicut membrum de loco suo præcisum, in nulla ulterius corporis parte valet aptari, nisi forte divinæ virtutis miraculo, unde divulgum fuerat potuerit reformari. Ex his nonnulli tam immites, et non humanæ affectionis, sed belluinæ immanitatis inveniuntur, ut prioribus uxoribus ex suspitione adulteri nulla lege, nulla ratione, nullo iudicio, sola sua animositate et crudelitate occisis, adhuc oruenti et sanguine madentes, non solum nulla pœnitentia compungantur, aut aliqua humilitate Deo et Ecclesiæ satisfaciant, sed exsultantes in superbiis suis, incunctanter ad altare Domini accedant, et indifferenter sacra mysteria contingere præsumant. Cum etiam illæ miserimæ mulierculæ veraciter adulterium perpetraverint, et ob hoc justè puniendæ esse videantur, tamen lex Dei, ex qua omnis Christianus in die iudicii iudicabitur ut recipiat secundum opera sua, nullum reum, nec ipsos adulteros vel adulteras puniri permittit, nisi sub legitimis iudiciis et testibus, quos etiam publico iudicio a populo lapidari præcipit. Unde et admirabilis illa Susanna, cum falso adulterii crimine accusaretur, et publico iudicio condemnata, et publico legitur absoluta (*Dan. 13*). Et illa mulier in Evangelio, quæ veraciter in adulterio fuerat deprehensa, primum juxta legem ad Pharisæos, qui potestatem iudicii in populo exercebant, deinde etiam tentandi gratia ad Domini iudicium perduota est, ubi ejus admirabili pietate, et a lapidationis supplicio, et a criminis reatu meruit liberari (*Joan. viii*). Et in libro Numeri præcipitur, ut si qua mulier vel adulterii rea, vel falsa suspitione fuerit appetita, et vir ejus zelo adversus eam concitetur, adducat illam ad sacerdotem, et divino iudicio vel damnandam offerat, vel liberandam (*Num. v*).

CAP. IX. Quod etiam antiqui Romani legitimo conjugio fieri debere, legibus suis antiquitus statue-

runt, et servaverunt, non solum jam effecti Christiani, sed etiam cum adhuc essent pagani, sicut apertissime ostendit lex Antonini pagani imperatoris, quam beatus Augustinus quodam loco hoc modo commemorat et commendat, dicens (*ad Pollent. lib. II, c. 8*) : « Quibus displicet ut inter virum et uxorem par pudicitie forma servetur, et potius eligunt, maximeque in hac causa, mundi legibus subditi esse quam Christi, quoniam jura forensia non eisdem quibus feminas pudicitie nexibus viros videntur distringere, legant quid imperator Antoninus, non utique Christianus, de hac re constituerit, ubi maritus uxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, qui moribus suis non præbuit castitatis exemplum, ita ut ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse convicerit. Nam supradicti imperatoris hæc verba sunt, quæ apud Gregorianum leguntur : Sane, inquit, litteræ meæ nulla ex parte causæ præjudicabunt. Neque enim si penses te culpa fuit ut matrimonium solveretur, et secundum legem Juliam Euphrasia uxor tua nuberet, propter hoc rescriptum meum adulterii damnata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cum tu pudice viveres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum enim mihi videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet : quæ res potest et virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter utrumque componere, vel causam facti tollere. Si hæc observanda sunt propter decus terrenæ civitatis, quanto castiores quærit cœlestis patria et societas angelorum? » Hæc de legibus pagani imperatoris Antonini beatus Augustinus scribit. In libro Esther manifestè legitur (*cap. 1*). Vaste uxorem potentissimi et ferocissimi regis Assueri, cum ejus animos contemptu et contumacia offendisset, nequaquam sola illius indignatione et furore ex imperii honore depositam fuisse, sed publico iudicio, et sententia principum, ac iudicum Medorum atque Persarum. Ita cum essent pagani et idolorum cultores, naturaliter quæ legis sunt facientes, etiam in causis conjugum, non crudelitatem et sævitiam, sed justitiam et æquitatem decernere ac definire debere docuerunt.

CAP. X. Certe divina lex etiam inter dominum et servum sive ancillam, justitiam et iudicium conservari præcepit : et cum præcipiat publico iudicio talioni suæ oculum pro oculo, et dentem pro dente restitui : tamen si quis dominus servo vel ancillæ suæ privata indignatione et furore vel oculum erueret, vel dentem excuteret, statim eum ejusdem servi vel ancillæ amissione damnabat. Ita namque scriptum est : *Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut ancillæ, et luscus eos fecerit, dimittet liberos pro oculo quem eruit ; dentem quoque si excusserit servo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos* (*Exod. XXI, 26*). Noluit itaque et æquissima et misericordissima lex Dei, neque ipsis servis et ancillis a dominis suis absque iudicio aliquas debilitates vel de-

formitates infligi : ita ut si quis hoc præsumeret, ejusdem servi justa amissione plecteretur, cujus subjectione injuste abusus fuisset. Multo minus occidi eum permisit privata domini sui indignatione et furore : quod si fecerit, reatu homicidii condemnatur, dicente eadem lege : *Qui percusserit servum suum vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit* (Exod. xxi, 20).

CAP. XI. Hanc judicii et justitiæ æquitatem beatus Job erga familiam suam, etiam antequam lex illa per Moysen daretur, divina inspiratione et naturali consideratione servabat, sicut ipse testatur dicens : *Si contempsi subire judicium cum servo meo, et ancilla mea, cum disceptarent adversum me. Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus, et cum quæsierit, quid respondebo illi? Nunquid non in utero fecit me qui et illum operatus est, ac formavit me in vulva unus? (Job. xxxi, 13-15.)* Inde et sancti Patres nostri, pro istiusmodi reatu, ita in sacris canonibus statuerunt (concil. Agath. can. 62) : « Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione biennii effusionem sanguinis expiabit. » Nam et liber Ecclesiasticus loquens de disciplina domini et servi hoc ipsum præscribit, dicens : *Verumtamen sine judicio nihil facias grave* (Eccli. xxxiii, 30). Et præcipue Apostolus ita admonet, dicens : *Domini, quod justum et æquum servis præstate, remittentes minas, scientes quod et vos dominum habetis in cælo* (Col. iv, 1). Si igitur in domo uniuscujusque Christiani, tanta æquitas et bonitas etiam erga servilem conditionem servanda est inter dominum et servum, quanto major et uberior ac plenior custodienda est inter maritum et uxorem, inter virum et conjugem, inter caput et corpus? Quoniam sicut Apostolus docet : *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesie, ipse salvator corporis ejus. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua* (Ephes. v, 23 et 28). Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit : sec nutrit et fovet eam sicut et Christus Ecclesiam. Unde rursus idem Apostolus dicit : *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo* (ibid., 25). Certe in his apostolicis verbis tanta inter virum et uxorem, et tam præcipua atque excellens dilectio commendatur, salva tamen in ipso conjugio prælatione viri et subjectione feminae, ut illa conjunctione semel a Deo instituta et legitime conciliata major esse nec debeat, nec possit. Quid enim venerabilius, quam ut conjugium mysterium sit Christi et Ecclesie? quid sanctius, quam ut sic diligant viri uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam, tradens seipsum pro ea, ut illam sanctificaret atque mundaret? Quid charius atque conjunctivius, quam ut vir caput sit mulieris, sicut Christus caput est Ecclesie, ipse salvator corporis? Qui etiam in Evangelio de hac conjugii unione testatur, dicens : *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.*

A *Erunt enim, inquit, duo in carne una* (Matth. xix, 6), addit adhuc Apostolus, dicens : *Viri, diligite uxores, et nolite amari esse ad illas* (Col. iii, 19). Si ergo viri erga uxores suas non debent esse amari, quanto minus sævi, crudeles, cruenti, nullam eis servantes legem, nullam rationem, nullum judicium, quod etiam erga servos Christiana religione custodiendum est : sed mox ut eis placuerit, indignatione et furore impio concitati, tanquam ad macellum illas deduci faciant laniandas, et cocorum suorum gladiis, more vervecum atque porcorum emactari præcipiant, vel ipsi etiam manu et mucrome proprio eas trucidaverint, nequaquam semetipsos ad imitationem Domini Jesu Christi tradentes pro eis, ut illas sanctificent et mundent, sed potius zelo libidinis suæ ipsas in æternum disperdentes, et se earum sanguine impie polluentes : cum in ejusmodi causa tanto justius expectandum esset legitimum judicium, quanto facilius maritali zelo potest perpetrari homicidium.

B CAP. XII. Defendant se quantum volunt qui hujusmodi sunt, sive per leges, si ullæ sunt, mundanas, sive per consuetudines humanas, tamen si Christiani sunt, sciant se in die judicii nec Romanis, nec Salsicis, nec Gundobadis, sed divinis et apostolicis legibus judicandos. Quanquam in regno Christiano etiam ipas leges publicas oporteat esse Christianas, convenientes videlicet et consonantes Christianitati. Lex namque omnipotentis Dei in tres species dividit omnia quæ homines in mundanis rebus subdita habere vel possidere videntur, cum in Decalogi præceptis definit et dicit : *Non desiderabis uxorem proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non ovem, non asinum, non omnia quæ illius sunt* (Exod. xx, 17). In quibus verbis sine dubio aliter consideranda est dignitas uxoris, aliter conditio servorum et ancillarum, et aliter vilitas brutorum animalium, sive insensibilium rerum, et ideo omnia ista suis metis tractanda, suis gradibus discernenda ac dividenda sunt. Hæc dicimus ut considerent qui ejusmodi sunt, viliorem apud se esse conditionem uxorum quam servulorum. Et de servo absque conscientia judicis occiso dominus ejus homicidii reus existit, nec effusionem sanguinis nisi per pœnitentiam potest expiare, quid de conjugate studentum sit. Qui etiam usque ad tantam stultitiam et cœcitate prorumpunt, ut eas quas in primis contra omnes et divinas et humanas leges, et contra ipsius jura humanitatis per violentiam et raptum sibi conjungunt, vel etiam ex professione et habitu sanctimoniali sacrilega impietate commaculare non metuunt, postea blanditiis delinitas, et parentibus earum artificiosa, imo ignominiosa adulatione placatis, putant se et divinum et humanum evasisse judicium, et tam illicitum atque iniquum contubernium volunt videri velut legitimum et honestum conjugium, cum sicut jam supra ostensum est, et feminas quæ raptoribus suis consensum præbuerint, et parentes earum, nisi reclamaverint, etiam antiquæ Romano-

rum leges pari severitate júdicent puniendos, et per ecclesiasticum judicium, quicumque ejusmodi sint, vel usque ad separationem excommunicandos sive anathematizandos, vel etiam post separationem ab omni aspectu publico arcendos, et usque ad diem mortis sub arctissima pœnitentia in ergastula jubeat contradendos. In tantum ut etiamsi timore publicarum rerum ad Ecclesiam raptor cum rapta confugerit, ipsa quidem quæ violentiam perpessa est, intercessu Ecclesiæ excusata parentibus restitui jubeatur, raptor vero, quia manifeste vim intulit, similiter ob reverentiam sanctuarii, legum impunitate concessa, in servitutem parentum ejus quam rapuit redigatur, nisi forte illi ut se redimat concedatur.

CAP. XIII. Nunc autem, his omnibus et divinis et humanis legibus contemptis atque calcatis, publicam per eos Ecclesia impugnationem, publicam injuriam et contumaciam patitur : in tantum ut etiam sacerdotibus suis, tam iniqua et funesta prohibentibus, insidias moliri, et seditiones concitare non metuant. Quod si quis tam insanus est, ut istud profanum et violentum contubernium idcirco putet legitimum fieri posse conjugium, quia David regem justum et sanctum, sed in quibusdam ut hominem delinquentem, Scriptura refert uxorem Uriæ Hethæi adulterasse, et postea ipso Uria crudeliter interfecto, etiam in conjugium sumpsisse (*II Reg. xi*), attendat quam graviter et terribiliter omnipotens Deus hoc totum per prophetam suum increpaverit, improbarit, atque damnaverit, dicens : *Uriam Hethæum occidisti, et uxorem illius accepisti uxorem, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua (II Reg. xii, 9, 10)*. Et quidem statim illi alto dolore compuncto, et pœnitenti atque humiliter confitenti, tantæ iniquitatis reatus dimissus est. Ait namque brevi sermone, magno et profundo cordis gemitu : *Peccavi Domino, et statim audire meruit per prophetam : Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris (ibid., 13)*. Verum tamen sic ei dimissum est peccatum, ut non evaderet temporale flagellum quod ei fuerat denuntiatum. Nam et filius, qui exinde natus fuerat, confestim divino judicio percussus est et mortuus, et ipse postea gravissimis tribulationibus, et regni sui amissione per filium suum Absalon ita afflictus est et vexatus, ac velut in fornace ignis excoctus atque purgatus, ut vere sola divina clementia evasisse videatur. Quod autem conjugium illud, tam graviter increpatum et improbatum, atque flagellatum, ita manere permissum est, manifeste non est cuiquam ad imitandum propositum, ut quilibet in injusto ordine credat se habere justum conjugium : sed potius divinum exstitit miraculum vel sacramentum, ita illum virum vera et admirabili pœnitentia fuisse purgatum, atque ab omni adulterina subreptione sanatum, ut posset et ex tali conjunctione castum et

A legitimum esse conjugium, sicut et in extremo vita suæ tempore, mira et speciali virtute, Abisag Sunamitidem speciosissimam virginem, et ex cunctis finibus regni Israel electam, habuit sibi assidue ministrantem, et secum assidue cubantem atque dormientem, quam tamen nunquam cognovit (*III Reg. i*).

CAP. XIV. Hæc ergo vel ita admiranda sunt, ut penitus non possint esse imitanda, vel ita illi temporis Mosaicæ legis concessa, ut adveniente Domini et Salvatoris nostri evangelica gratia, sint penitus removenda, vel quoniam, sicut Apostolus dicit, omnia hæc in figura contingebant illis (*I Cor. x*), divinis sint mysteriis applicanda. Quanquam si non præcessisset in illa muliere adulterium, nec viri ejus interfectio fuisset adjuncta, quis non videat potuisse eam, mortuo viro proprio, et debita jam curatione deplorato, cui vellet honesto et legitimo matrimonio copulari ; Sed et regem, qui pro conditione temporis illius non prohibebatur plures habere uxores, potuisse legitime accipere cujuslibet defuncti uxorem ? Illud vero in gestis ejus magnificum et valde imitandum claret, quod uxores sive concubinas, quas fugiens reliquerat ad custodiendam domum, a filio impio incestatas atque pollutas (*II Reg. xvi*) nunquam ulterius agnovit, sed tanquam vim perpassas aluit eas tantummodo clementer, et fecit eas habitare clausas usque ad diem mortis suæ in viduitate viventes. Sed et illud nequaquam abhorret ab ordine et observantia religionis, cum adhuc regnaret in Hebron super tribum Juda tantummodo, et Isboseth filius Saul obtineret regnum Israel, misit ad Abner principem militum et gubernatorem domus regiæ, ut restitueret ei Michol filiam Saul, quæ fuerat uxor ejus, et quam sibi desponsaverat centum præputiis Philistinorum, quamque Saul, pater ipsius, illo hostiliter etiam extra terminos regni sui effugato, alteri viro tradiderat conjugem (*II Reg. iii*). Justum namque erat, ut illa persecutione et effugatione finita, regressus in patriam, quod sibi jure competebat reciperet etiam in qualibet possessione terrena, quanto magis in conjugii societate, sicut etiam sacri canones simili æquitatis deliberatione observandum esse decernunt ?

CAP. XV. Possunt etiam istiusmodi pravi atque distorti homines, sive fautores ac deceptores eorum, illud quasi juste et licenter assumere in exemplum, quod de viris tribus Benjamin refertur in libro Judicum (*Jud. xx et xxi*) : qui cum pro culpa superbiæ et pravitatis suæ, qua civium suorum detestandum atque immanissimum scelus, adversus Deum et totius populi judicium, improbe et impie defendere ausi sunt, et contra omne regnum rebeli obstinatione pugnare, divino judicio in bello corruissent, et usque ad interneccionem pene fuissent deleti, cum universis uxoribus et filiis suis remanserint ex tota illa tribu sexcenti viri tantummodo. Unde universus populus Israel, qui in illo certamine adversus eos processerat, eosque prostraverat gladio, juxta divinam jussio-

nem in ultionem nefandi sceleris vehementi et religioso dolore permotus est, quod ex duodecim tribubus ejusdem populi, sicut ab initio fuerant institutæ, et de Ægypto liberatæ, et in terram repromissionis inductæ, et sortis distributione hæreditatem adeptæ, una tribus tam nobilis atque præclara videretur etiam sublata. Quapropter nimium dolentes et flentes, atque ululantes, quod videlicet illud sacrosantum mysterium duodecim tribuum, quod in humeris summi sacerdotis intrantis in Sancta sanctorum gestabatur in duobus pretiosis lapidibus in pectore, et etiam in aliis duodecim lapidibus pretiosis, sed et in mensa in duodecim panibus incessanter offerebatur, et futuro gloriosissimo apostolorum choro hæc omnia præparabantur, tam subita clade ac lugubri casu videretur esse decurtatum atque truncatum, altare extruxerunt, victimis atque oblationibus et sibi et illis Dominum placaverunt, et divina gratia miserante et cooperante, omni cura ingentique studio egerunt, ut et plenitudo populi Dei, vel tanti mysterii insigne apud eos nullatenus deperiret: sicut mirabiliter postmodum etiam in Novo Testamento, per beatos apostolos sancto Spiritu agente, procuratum est, ut ejusdem duodenarii numeri sacramentum, quod pereunte Juda videbatur esse mutilatum, electione et subrogatione Mathiæ (*Act. 1*) maneret instauratum atque perfectum. Et quoniam, ut jam dictum est, ex tota illa tribu sexcenti viri tantummodo superfuerant, quadringentis ex eis quadringentas virgines providerunt, atque in conjugium tradiderunt: ducentis vero qui remanserant, quia nec filias suas tradere poterant, constricti juramento et maledictione qua juraverant nequaquam se eis duros de filiabus suis uxores, nec alias invenire poterant quas eis libere traderent, sicut fecerant ex habitatoribus Jabes Galaad, qui nec in illo juramento interfuerant, et postea in tam publico et religioso bello adesse neglexerant, ac per hoc legitime interfici jussi sunt, et ex eis quadringentæ tantum virgines resignatæ, quæ ad reparationem tribus Benjamiticæ adducerentur. Erant itaque residui habitatores Silo, ubi tunc constitutum erat tabernaculum Dei, qui nec in illo juramento, nec in illa pugna, forsitan immunitate sanctuarii, cui pro vicinitate familiaris vel etiam assidue famulabantur, fuisse credendi sunt: et idcirco licenter dare potuisse istas filias suas in conjugium, sed quadam duritia et execratione illius facinoris, quod a tribu Benjamin fuerat perpetratum, facere noluisse.

CAP. XVI. Restabat igitur, ut quia nec parentes legitime compelli poterant ut nolentes darent filias suas, et rem voluntatis ex necessitate facerent, nec ipsæ filiæ hostiliter sibi essent auferendæ, ipsis virginibus procedentibus solemnissimo die ad sanctuarium Domini, chorosque ducentibus, ducenti illi viri absque conjugibus, ex consultu et consilio atque auctoritate populi et seniorum, pro redintegratione ejusdem populi, et conversatione divini mysterii, repente eis occurrerent, et ex his singuli singulas

A sibi uxores acciperent. In qua re jam nulla metuenda esset divina indignatio, cum pro amore et honore divino, et pro Dei causa totum ageretur. Qui illi tribui pene usque ad internecionem deletæ, et in transacto bello jam restituerat quod merebatur, et in præsentia consultu occulta eis inspiratione et providentia miserebatur. Servata ergo ubique justitia, cum neque illæ puellæ aliqua lascivia vel contumacia, sed necessitate sola parentum suorum regimine abductæ essent, nec illi qui eas ceperant, aliquid suo libitu vel temeritate, sed populi et seniorum jussione atque auctoritate fecissent: restabat sola parentum querimonia rationabili satisfactione sopienda, de qua eis majores natu ita dixerunt: *Cumque venerint parentes eorum, et adversum vos queri cæperint atque jurgari, respondebimus eis: Misere-mini eorum. Non enim ceperunt eas jure bellantium atque victorum, sed rogantibus ut daretis, et non dedistis, et a vestra parte peccatum est (Jud. XXI, 22).* Totum igitur istud rationabiliter provisum, rationabiliter factum, rationabiliter finitum, pro publica utilitate, publica auctoritate, atque intercessione, ita singulare est et minime imitandum, vel potius mysticum, ut semel legatur gestum, et nunquam ulterius iteratum.

CAP. XVII. Quapropter quod Scriptura Dei narrat ad memoriam pietatis, vel ad commendationem mysterii spiritualis, absit ut stulti et impudenti petulantia dissoluti usurpare permittantur ad exemplum vel defensionem suæ procacitatis, ut putent se isto exemplo, cum non facile impetrant a parentibus, licere sibi rapere quas voluerint, et postea complacatis parentibus, quasi legitimo eas matrimonio detinere: cum hoc, sicut jam dictum est, non sit scriptum ad exemplum, unde nec unquam postea est usurpatum, sed sit in his admirandæ devotionis commemoratio, et profundi mysterii commendatio. Et ibi quidem propitiato et placato omnipotenti Deo, cujus cultu et honore totum gerebatur, sola parentum misericordia implorata est, ut parcerent illis ducentis viris, ne vel in hac parte inveniret in eis divinæ legis æquitas quod damnaret. Quanquam et a parentum parte vere peccatum esse videtur, quia in consulendo tantæ et tam publicæ necessitati duriores extiterunt, in tantum ut nec rogantibus primo dare voluissent. Hic vero Deo exasperato et ad iracundiam provocato, cujus lex contemnitur, cujus Ecclesia et sacerdotes conculcantur, cujus sanctum templum sacrilega et nefaria presumptione violatur, qua stultitia atque dementia putant placatis et pacificatis parentibus, peccatam se habere posse Ecclesiam Dei, et eorum auctoritate stare posse confidunt quod divinæ legis et sanctorum Patrum auctoritate destruitur, cum tantæ prævaricationis et impietatis malum, adversus Deum et Ecclesiam ejus commissum, nulla ratione, nullis argumentis emendari possit, nisi omnipotentis Dei et Ecclesiæ judicio ac satisfactione? Ibi igitur ostendenda est tanta facinoris emendatio, ibi suppliciter

venia postulanda, ibi sollicite satisfactio exhibenda, id est in Ecclesia Dei, apud sacerdotes Dei, ubi solummodo veraciter obtineri potest et remissio peccati, et propitiatio ejus qui offensus est omnipotentis Dei.

CAP. XVIII. Adjiciunt istiusmodi homines malis suis etiam illam nimis audacem et puniendam præsumptionem, ut adulterinis et execrandis non conjugis, sed colluvionibus suis, postulando ac supplicando auctoritatem vel mediationem religiosorum principum acquirant: quod absit a fidelibus et ministris regni Christi principibus, ut cujusquam improbitas eorum interdictis vel interventionibus adjuvetur: cum leges Romanæ, et Christianissimi illorum temporum imperatores manifestissime et justissime censuerint, eos qui injustis et fraudulentis petitionibus, et maxime in tali causa, principales aures inquietaverint, et indulto beneficio carere, et insuper exilio deportari, et filios qui ex hujusmodi ignominiosis et adulterinis conjunctionibus fuerint procreati, nequaquam legitimos deputandos, nec hæreditatis successione honestandos. Obsecramus igitur mansuetissimam tranquillitatem vestram, Christianissime et gloriosissime princeps, ut preces et supplicationes nostras, quas pro Ecclesia Dei et sanctificatione atque honore corporis Jesu Christi Domini et Salvatoris nostri deferimus, clementer audiatis, prompta devotione suscipiatis, et insitæ religionis affectu ac zelo strenue atque sollicite effectui mancipetis. Nec reprehendendam judicetis curam et solertiam pusillitatis nostræ, quod hæc Deo protegente non ubique, sed in plerisque regni hujus partibus contagia funesta grassantur. Quia nobis licet indignis et minimis, et exemplo apostolico cura debet incumbere omnium Ecclesiarum, et omnino vigilanter admonenda et prædicanda sunt ista etiam ubi non fiunt. Quoniam et ante venenum est adhibendum antidotum, et vulnus, dum adhuc crescendo male proficit, vel reseccandum est vel curandum. Oramus itaque et imploramus a vobis auxilium, quod illi sine dubio debetis, cujus munere floretis atque polletis, ut tres Ecclesiæ ordines, imo triplex agri divini fructus, videlicet, tricesimus, sexagesimus, atque centesimus, etiam vestro terrore atque præsidio, velut quadam sepe atque munimento, integer et sincerus custodiatur, crescat, atque proficiat: tricesimus in copulatione conjugii, sexagesimus in continentia viduali, centesimus in pudore atque integritate sanctimoniali: ut quicumque his fructibus tanquam brutæ et perniciosæ bestię insidiantur, vestra custodia repellantur, vestra etiam severitate corrigantur.

CAP. XIX. Audiatur et teneatur quod sancti Patres definiunt de bono conjugali, ita dicentes (*Aug. lib. ix, de Genes. ad lit. c. 7*): « Quod bonum habent nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est, fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera vel altero concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur. In sa-

A cramento, ut conjugium non separetur, et dimissus aut dimissa nec causa proles alteri jungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, quia vel natura decoratur fecunditas, vel innocentia regitur pravitas. » Audiatur et illud quod de reliquis duobus ordinibus, in quanta sanctitate et reverentia haberi debeant, his verbis iterum dicunt, David cum magno sui pudore furtim ad militis sui intrasse fertur uxorem, nec tamen evadere potuit ultionem. Tu ad sponsam regis Christi temerandam, cubiculum Domini dominorum impudenter ingressus, quomodo esse poteris impunitus? Ac si forte vidua, aut quæcunque fuerit illa, nondum professa continentiam castitatis, quælibet illa sit, uxor dici non potest prostituta, uterque vestrum nota semper inuretur infamiæ, nec aliter tanti criminis macula poterit aboleri, nisi aut publica legum sæcularium sæviente censura adulterium mortibus expietur, aut certe profundis afflictis cordis gemitibus et veræ pœnitentiæ jugibus dum vivitur lacrymarum fontibus abluatur. Exeat ergo qui dicat crimen hoc nuptiis emendandum, et de scelere statim nomine conjugium censcat esse vocandum. A me invitus veraciter audiet, adulterium nullatenus dici conjugium: conjugium enim religiosi nominis vocabulum est.

CAP. XX. His sanctorum Patrum verbis atque sententiis subjungemus adhuc pauca ex sacris canonibus sententias, quas in contemplationem Domini nostri Jesu Christi, et honorem ac pietatem sanctæ matris Ecclesiæ, cujus visceribus Deo nati, cujus honoribus illustrati estis, et æternaliter illustrandos vos esse confiditis, religiosa quæsumus devotione audiatis, et instructissima cura atque industria, in commisso vobis Christiano populo agnosci, revereri, atque observari, Domino in omnibus protegente et cooperante, faciatis. Tanta namque res ista est pro qua satagimus et supplicamus, id est castimonie et sanctitatis custodia, ut pro ea commendanda atque tuenda etiam nos ipsos offerre libenter debeamus, exemplo beati et gloriosi Baptistæ Joannis, qui inter cætera prædicationis suæ præconia, etiam regem ipsum Herodem propter istiusmodi adulterinum conjugium tanta constantia increpavit, atque corripuit, instanter aununtians et dicens illi de uxore fratris sui Herodiade (quam plusquam raptor, etiam virtute et potentia regiæ potestatis obtinuerat et detinebat): *Non licet tibi habere eam (Matth. xiv, 4)*; ut pro hujusmodi causa et vincula et carcerem æquanimiter sustinens, novissime gladio maluerit obtruncari quam a veritatis et justitiæ prædicatione cessare. Et ideo vere martyr Christi, quia ipsius veritatis et justitiæ martyr.

EXCERPTA

Ex sacris canonibus et sanctorum Patrum gestis de cultu sanctimonie et constantia annuntiandæ veritatis.

Ex decretis papæ Siricii cap. 4: Quod non liceat alterius sponsam ad matrimonii jura sortiri.

De conjugali autem violatione requisita, si de-

sponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere, hoc ne fiat modis omnibus inhibemus : quia benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cujusquam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.

In Ancyrano concilio, cap. 10. De desponsatis puellis, et ab aliis corruptis.

Desponsatas puellas, et post ab aliis raptas, placuit erui, et eis reddi quibus ante fuerunt desponsatæ, etiamsi eis a raptoribus vis illata constiterit.

Ex decretis Innocentii papæ, c. 20. De virginibus non velatis, si devierint.

Hæ vero, quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatæ non fuerint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum a Domino teuebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, solvi sine vindicta non debet? Nam si apostolus Paulus, quæ est proposito viduitatis, discesserant, dixit eas habere damnationem, quia primam fidem irritam lecerunt, quanto potius virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt conatæ?

Ex decretis papæ Leonis, c. 27. Quod illæ quæ non coactæ, sed voluntate propria virginitatis propositum susceperunt, delinquant si nupserint, et si nondum fuerant consecratæ.

Puellæ quæ non parentum coactæ imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligant, prævaricantur, etiamsi nondum eis gratia consecrationis accesserit : cujus utique non fraudarentur munere si in proposito permanerent.

Item ejusdem papæ Leonis ad Rusticum. De puellis quæ jam consecratæ sunt, si postea nupserint, et propositi et consecrationis duplex crimen admittunt.

De his quæ jam consecratæ sunt, si postea nupserint, ambigi non potest magnum crimen admitti, ubi et propositum describitur et consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt impune violari, quid eos manebit, qui ruperint divini fidei sacramenti?

Ex decretis papæ Gelasii, cap. 20. Quod hi qui se sacris virginibus sociant, et fœdera incesta commiscunt, communicare non possint, nisi publicam pœnitentiam egerint.

Virginibus autem sacris temere se quosdam sociare cognovimus, et post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere : quos protinus æquum est a sacra communione detrudi, et nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi : aut his certe viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint non negari.

Ex decretis papæ Siricii, cap. 6. De monachis et virginibus propositum non servantibus.

Præterea monachorum quosdam atque monacharum, abjecto proposito sanctitatis, in tantam prolestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo, velut sub monasteriorum prætextu illicita ac sacrilega se contagione miscuerint, postea vero in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis amplexibus libere filios procrearint : quod et publicæ leges et ecclesiastica jura condemnant. Has igitur impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus : quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitentis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem, solius miseri-

cordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

Item ex concilio B. papæ Gregorii.

Gregorius apostolicus papa, ante corpus venerabile Christi apostolorum principis, in ferendo sententiam dixit : Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in conjugium duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis commatrem spiritualem duxerit in conjugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis fratris uxorem duxerit in conjugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis consobrinam duxerit in conjugium, anathema sit. Et responderunt omnes, Anathema sit. Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis viduam furatus fuerit in uxorem, vel consentiens ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis virginem, quam sibi non desponsaverit, furatus fuerit in uxorem, vel consentiens ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit. Gregorius episcopus sanctæ catholicæ atque apostolicæ Romanæ Ecclesiæ huic constituto a nobis promulgato subscripsi. Et subscripserunt alii episcopi viginti duo, presbyteri quatuordecim, diaconi quinque.

De concilio Aureliano 1, cap. 2.

De raptoribus autem id constituendum esse censuimus, ut si ad ecclesiam raptor cum rapta confugerit, et feminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, et raptor, mortis vel pœnarum immunitate concessa, ad serviendi conditionem subjectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si vero quæ rapitur patrem habere constiterit, et puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur, et raptor a patre superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius.

Ex concilio Valentino, cap. 2. De puellis Deo devotis, si ad terrenas nuptias transierint, ut pœnitentiæ deputentur.

De puellis vero quæ se Deo voverint, si ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decrevimus, ut pœnitentia his nec statim detur, et cum data fuerit nisi plene satisfecerint Deo, in quantum ratio poposcerit, earumdem communio differatur.

Ex concilio Eliberitano, cap. 13. De virginibus Deo sacratis, si adulteraverint.

Virgines quæ se Deo dicarunt, si pactum perderint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in fine eis dandam communionem. Quod si semel persuasæ, aut infirmi corporis lapsu vitiatæ, omni tempore vitæ suæ hujusmodi feminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se a coitu, eo quod lapsæ potius videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere.

Ex concilio Toletano 1, cap. 16. Devota si adulteraverit, decem annis pœniteat. Si maritum duxerit, non permittenda ad pœnitentiam, nisi maritus decesserit.

Devotam peccantem non recipiendam in ecclesiam, nisi peccare desierit, et si desinens egerit pœnitentiam aptam decem annis, sic accipiat communionem. Prius autem quam in ecclesiam admittatur ad orationem, ad nullius convivium Christianæ mulieris accedat : quod si admissa fuerit, etiam hæc quæ eam receperit habeatur abstenta. Corruptorem etiam par pœna constringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi ad-

huc vivente ipso marito caste vivere cœperit, aut postquam ipse decesserit.

Ex concilio Toletano iv, cap. 56. De discretione viduarum sæcularium et sanctimonialium.

Duo sunt genera viduarum, sæculares et sanctimonialia. Sæculares viduæ sunt, quæ adhuc disponentes nubere laicalem habitum non deposuerunt. Sanctimonialia sunt, quæ jam mutato habitu sæculari, sub religioso cultu in conspectu sacerdotis vel ecclesiæ apparuerunt. Hæ si ad nuptias transierint, juxta Apostolum, non sine damnatione erunt: quia se primum Deo voventes, postea castitatis propositum abjecerunt.

Ex concilio Toletano, cap. 5.

Omnes feminæ quæ jam in præteritum religionis veste fuisse probantur indutæ, nihil ad excusationem valeat oppositionum qualibet objectio, quamvis diversis aut callidis adumbrare se velint fallaciæ argumentis: sed ad sacratissimas sanctiones disciplina sanctior eas teneat religatas atque subjugat. Commoveantur sane sacerdotis auctoritate ut sponte redeant. Quæ si redire noluerint, impulsu sacerdotis ad religionis habitum reducantur, et in monasteriis redactæ excommunicationis condignæ sententia feriantur.

In edictis piorum imperatorum.

Si quis divinis mysteriis vel aliis sanctis mysteriis celebrandis in sancta intraverit ecclesia, et episcopo vel clericis, vel aliis ministris Ecclesiæ injuriam fecerit, jubemus eum tormentis subjectum in exsilio mori. Sed et si quis sancta oratoria vel divina mysteria in aliquo conturbaverit, capitali supplicio puniatur. Hoc eodem observando et in Litanis, in quibus episcopi vel clerici inveniuntur. Ut si quidem contumeliam fecerit, tormentis et exsilio tractatur: sin autem litaniam turbaverit, capitali periculo subiaceat. Non enim tantum volumus omnia

loca Deo dicata ab omni incursione libera, sed multo magis omnes episcopos et clericos eorum ab omni periculo esse tutissimos: ut quicumque præses vel judex, aut militaris, si contra eos manus aut contumelias inferre ausus fuerit, nullo pacto illud aliter expiare possit, nisi aut æterno exsilio, aut sanguine.

In Taurinensi vel Aquileiensi concilio, cap. 9 et 15.

Si peccatis agentibus contigerit post obitum aliqujus sancti episcopi, ut annus transeat, antequam substituatur in civitate ipsa unde decessit episcopus alter, quia hoc munus prævidere debent metropolitani, ne ultra mensem, vel multo plus tres menses, sine pastore vacua remaneat civitas, placuit nobis, ut abs modo culpetur metropolitanus pro tanta negligentia, et clerus ac populus, pro eo quod salutis memor non fuit, ut ad metropolitanum petiturus episcopum accurreret: et deinde ordinetur episcopus eis. Si autem ipsi de se talem non habuerint, aut providere sibi et eligere jubente metropolitano suo neglexerint, tunc judicio et potestate sua, electa apta persona, metropolitanus cum aliis episcopis ordinet et faciat episcopum, ne plebs Dei sine pastore sit vacua, et facultates ecclesiæ dispereant. Si tunc presbyteri aut majores civitatis non acquieverint, ut rebelles anathematizentur.

In edictis piissimorum imperatorum.

Jurent majores civitatis ad Evangelia de persona electa ad episcopatum, quod neque uxorem habuerit pro certam neque concubinam, neque sit curialis vel taxeota, sed sanctus et litteratus, et canonicas leges intelligens, et in clero vel monasterio nutritus, et tunc ordinetur. Sin autem hi qui debent episcopum eligere, talia secreta intra sex menses non fecerint, tunc metropolitanus propter periculum animæ suæ, omnibus his exquisitis quæ diximus, ordinet et consecret sua potestate clero et populis episcopum.

XII.

EXPOSITIONES HINCARI RIEMENSIS

AD CAROLUM REGEM

Pro Ecclesiæ libertatum defensione.

(Ex Actis prov. eccl. Rhem.)

EXPOSITIO PRIMA

CUI TITULUS: QUATERNIONES.

Licet antea quam nunc proxime Rhemis venerim, unde mox litteras dominationi vestræ direxi, quædam ex his de quibus scripturus sum, auditu compererim; plenius tamen non incerta relatione eorum postea historiam didici. Et ut in Ariulfi et Amalberti causa, quæ initio rationabili, scilicet sacris legibus non contrario, et aliquanto progressu, quia cum audientia episcopali, et non in loco publico, sed in privato et familiari examine cœpta est discuti, si eodem fine terminata fuisset, sermonem non occupem inde. Dicam undè plus doleo.

Audivi namque quia residentibus vobis cum fidelibus vestris, coram fratre et coepiscopo nostro Hincmaro, filius Liudonis ad vestram dominationem se reclamavit, quia isdem frater noster ab eo exe-

niunt acciperit, et patris sui beneficium ei donaverit, et deinde ab eo irrationabiliter tulerit; et ex hac ratione, forte minus necessaria gravitatis cautela, quæ in episcopo non modicum est ornamentum, adeo animus vestræ serenitatis fuerit motus, ut eundem episcopatum coram omnibus, et voce publica, quam plurimis contumeliis affeceritis, quæ sacerdotali ordini a nullo homine, minime autem a rege, in quem sicut et in episcopum, omnium oculi sunt intendentes, impeti competit; missa ante oculos et servata reverentia Dei, qui dicit, quod sanctus Paulus de sacerdote, est interpretatus: *Principem populi tui non maledices (Act. xxiii)*. Et: *Diis non detrahes (Exod. xxii)*, id est, sacerdotibus. Detrahit enim et ille sacerdotibus, qui contumelias irrogat. De quibus item Dominus dicit: *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (Psal. civ)*. Et: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi*